

Epistola Cenetensi Episcopo data.

„ Illustris ac Reverendissime Domine quasi frater. Litteris tuis, die mensis proxime elapsi
 „ vigesima secunda datis, rescribi mandant Eminentissimi Collegæ generales Inquisitores,
 „ probari sibi zelum ac studium, quo fororis Mariæ Agridenfis libro obstitisti, qui certe nec le-
 „ gi permittendus est, nec teneri; cum dudum ab hac Sacra Congregatione S. Officii prosci-
 „ ptus sit. Vale.

Quasi frater F. Cardinalis Spada.

In hæc verba Illustrissimo Cenetensium Episcopo, de libri fortuna quærenti, rescripsit Decanus Congregationis Eminentissimus, suo & Collegarum nomine. Etsi eo rescripto non erat opus, ut quid rei fuerit, disceremus. Ecce enim rescissum, aut certe suspensum damnationis decretum effluant insausi operis defensores? Nempe quod quinto post mense, die scilicet nona Novembris, supplicanti Hispaniarum Regi rescripserit Innocentius XI. *In causa librorum Sanctimonialis Mariæ de Agreda placuit supersedere*: seu, ut Hispanicè referunt in apologeticis illius Operis prolegomenis: *Eu la causa de la Monja Maria de Agreda, hemos tenido por bien sobreseer*. At quid inde, ut latum ante decretum, rescissum ostendatur? Qui enim non omnino desipiunt, illud norunt, *in aliqua causa supersedere*, id sonare unice non ultra progredi, seu ad tempus sustinere: non ideo tamen, si qua in antecessum lata ac promulgata judicia sunt, hæc ipsa rescindere, aut suspendere. Id ergo, Caroli. II. precibus ab indulgentissimo Pontifice datum est unice, ut nihil ultra in miseros libellos, illorumque editores, aut suppositores, (a multis enim piæ Sanctimoniali creduntur suppositi) moveretur, atque decerneretur: non ut latum ante menses quinque, promulgatumque Decretum rescinderetur, aut effecta suo vacuaretur, quod contra, etiamnum hodie stat ratum & integrum, interdicta singulis tenendi legendique male multati operis facultate.



EXER-

EXERCITATIONUM
 DE CHRISTO,
 EJUSQUE VIRGINE MATRE
 PARS PRIMA.

In qua Judæorum errores, falsaque de promisso sibi Christo præjudicia refelluntur.

EXERCITATIO PRIMA.

De improba Judæorum cœcitate, in definiendis Christi promissi notis, ad quarum normam illius veritas exigitur.



Sæpe mecum tacitus cogitavi, quid demum causæ sit, quod, cum tam multæ in dies prodeant, de salutari Christi adventu, eruditæ lucubrationes, & vulgatæ typis, & e sacro suggestu pronunciatæ; tam pauci tamen Judæorum ad Christianam fidem traducantur: ut jam cesserit in proverbium, facilius esse Æthiopem dealbare, quam Hebræum ab errore divellere. Donec id venit in mentem, ortum id maxime ex anticipatis, verustisque opinionibus, quas de promissi sibi Christi dotibus, & officiis animo imbibent; in quibus evellendis, resellendisque, prima Virorum eruditorum desudare debet industria: quod ni fiat, omnis in cæteris quibusque probandis, demonstrandisque, perit labor, luditur opera.

Ecquid enim, si percontemur ab eis, qualem sacris in Litteris prænunciatum sibi Christum exultiment, qualem etiamnum hodie præstolentur? Sine cunctatione reponunt, quod a majoribus acceperunt: Virum bellatorem ac manu fortem, Gentium domitorem, qui obliteratam Mosaicam legem restituit, Leviticum Sacerdotium instauret, Salomonis Templum, ac Jerosolymam a fundamentis erigat; ac demum Judaicum genus toto orbe dispersum, ac profugum, relictiis, spretisque Gentilibus, in unum cogat, fortunet, ac beet. Ea sibi promissi Christi criteria fingunt cæci homines, his spebus crudas mentes alunt, atque interiò hianti ore candidiores soles expectant. Falsa autem ea cum sint, falsa quoque illorum de Christi adventu judicia derivari necesse est. Hinc ingens illa frangendæ Judaicæ peridiæ difficultas, & auferendi velaminis labor propemodum infinitus. Cum enim sinistram illam, de Messia dotibus, & officiis opinionem ebiberint, illuc perpetuo vota vertunt: ac licet Ecclesiasticis Tractatores magno argumentorum apparatu perspicuum faciant, præfinita optari adventus tempora successisse jam pridem, fluxisse Danielis hebdomades, ablatum Judææ sepeprum: illi ex adverso omnes ingenii nervos intendunt; quod eliquatissimis Oraculis nebulas offundant; quod necdum talem Messiam viderint, qualem sibi stulte, inaniterque finxerunt.

Idem scilicet illis usu venit, quod olim Theophrasto Philosopho, in rusticano secessu degenti contigisse legimus: quem cum Alexander Macedo, de suo in ejus casam adventu, submissis nunciis monuisset; nunquam tamen adduci potuit,

ut stata die, ac dicta hora advenientem agnosceret, coleretque pro dignitate: quod alium sibi finxisset Macedonem, proceritate scilicet corporis magnum arbitratus, qui contra, statura humilis, sola rerum gestarum gloria, ubique magnus celebrabatur.

II. Quid plura? Non pauca Scripturarum vaticinia, quæ mysticum in sensum sumenda veniunt, mortiferam secuti litteram propostere accipiunt, ut necdum Prophetias omnes impletas obtendant. Hinc cum de beatis Christi temporibus, ab Isaia scriptum legerint, Cap. 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; puer parvulus minabit eos; Leo quasi bos comedit paleas*: (quo symbolo dissonas gentes, moribus ac patriis legibus diversas, sub unius Christi domini imperium cogendas vaticinatus est sacer Vates:) ii continuo, quasi ridente Minerva, hujuscæ Oraculi corticem in Christianorum faciem illidunt, ut Jesu Nazareno Christi dignitatem eripiant, quod illo in terris agente, nec lupus habitavit cum agno, nec pardus cum hædo accubaverit; nec ulla demum auræ hujus ætatis ab Isaia descriptæ vestigia, in hanc usque diem mortalibus apparuerint. O cæcas mentes! Quidni ergo, si superis placet, complanatum iri terræ sola adventante Messia fabulantur, ut & tunc montes ipsi subsident, surgantque valles? Nam & hoc ipsum, si litteræ corticem æmulentur, vaticinatus est Isaïas Cap. 40. v. 4. *Omnis vallis exaltabitur; omnis mons & collis humiliabitur; & erunt præva in directa, & aspera in vias planas*. Quidni quoque plaudentia manibus flumina, montes festo saltatu choreas agentes, ad orientem Messia, comminiscuntur? Namque & hoc alterum, si nudis verbis hæreamus, futurum ominatus est Regius Vates, Psalmo 97. v. 8. *flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini*. Quæ sane, præterquam sunt absurdissima, repugnant etiam inter sese: cum & montes exultare a conspectu Domini, quod ait Regius Vates, impossibile sit; si nulli tunc, ut loquitur Isaïas, futuri sunt montes, sed solo æquandi.

Futuram illam Judæorum, in intelligendis sacris litteris, cœcitatem adumbratam legimus eo Velamine, quo faciem suam obtexit Moyses, ubi datam sibi legem in monte Sina, attulit ad Judæos, Exodi 34. v. 33. Id etenim factum observat Apostolus 2. ad Cor. 3. *ut non intenderent filii Israel in faciem ejus*: seu potius, ut habet textus græcus, leguntque Patres veteres, etiam latini, Augustinus, Ambrosius, Sedulius, Primasius, *ut non intenderent filii Israel in finem ejus*; Christum scilicet, Mosaicæ legis finem: ut legitur ad Romanos 10. *finis legis Christus, ad justitiam omni credenti*: quem, legendo meditandoque Mosaicos libros, Judæi necdum agnoscunt. Quocirca ele-

eleganter Doctor Angelicus lect. 3. in Cap. 3. Epistolae 2. ad Corinthios: *Velamen dicitur apponi sicut dupliciter: ut quia apponitur rei visae, ne possit videri; aut quia apponitur videnti, ne videat.* Judaeis in Veteri Testamento, utroque modo appositum erat velamen: nam & corda eorum excata erunt, ne cognoscere veritatem, propter eorum duritiam; & veteri Testamento nondum completum erat, quia nondum veritas venerat. In cuius rei typum velamen erat super faciem Moysis, & non super facies eorum. Sed veniente Christo, velamen remotum est a facie Moysis, id est, a Veteri Testamento, quia jam impletum est: sed tamen non est remotum a cordibus eorum.

III. Quid ergo nobis factum est opus, si quo felici exitu Judaicam perfidiam frangere volumus, & oppanum caecis mentibus velum educere? Evellenda illis ex animo funesta illa, infaustaque praedicia: figenda promissi Messiae criteria: definienda nota, ad quarum normam certam veri Messiae agnitionem exigamus: revelandus Propheciarum oculorum sensus, ne omni interpretationum vento circumferantur. Ita fiet, ut longe alium Liberatorem Mundo promissum Judaei videant, quam sibi ex praconceptis opinionibus finxerint; & in unum, quem nolunt, Jesum Nazarenum vaticinia collineare fateantur. Quocirca octo ista doctrinae capita totidem Exercitationibus ostendere, firmisque momentis evincere aggredimur, antequam expleta salutaris adventus tempora demonstrerem.

Primum: Christum sacris Prophetarum oraculis praenunciatum, non Judaeos modo, quae caeca illorum gloriatio est, verum etiam Gentiles, atque illos maxime vocatum fuisse, & Idololatram toto orbe deleturum.

Secundum: Christum divinis promissum Oraculis, novum Sacerdotii genus institutum fuisse, Levitico consummato, atque sublato. Qua parte delusus maxime Judaeos nemo nescit.

Tertium: Christum a Moysae Synagoga praedictum, Legem novam consummata veteri; foedus novum impleto veteri sanciturum: Ritusque Moisaicos, inducis aliis, ablegaturum. Quo capite Judaeorum animi potissimum obdurerunt, Moisaicae Legis perennitatem arbitrati.

Quartum: Christum veteris Testamenti figuris ac typis adumbratum a Deo, non Salomonicum Templum, ut putant, non Jerosolymam instauraturum; ut illic veteri ritu Judaei sacrificia offerant, & in terra patrum suorum secundum carnem feliciter, beateque vivant: sed Templum Spiritale toto orbe diffusum, Ecclesiam dico, ubi spiritu, & veritate colitur Deus.

Quintum: Christum fatidicis Codicibus expressum, non Virum bellatorem, copiarumque ductorem futurum, ut ajunt, qui miseram gentem armata manu, ac stricto gladio vindicet: sed Virum humilem, atque pacificum; sacra dumtaxat, in vitia, non in homines, bella gesturum; nec nisi arma mystica tractaturum.

Sextum: Christum sacris Vaticiniis praenunciatum, hominem non profusum immortalem fore, quod ajunt; sed mortali, & quidem turpissimae perfidiae addendum: ut hominum noxas expiaret sanguine suo.

Septimum: Christum Vatum penicillo delineatum, ac tanquam ad vivum expressum, non purum, ac merum hominem fore; sed hominem Deum, cum hominibus conversantem.

Octavum: Christum Deum, & hominem a sacris Vatribus dictum, non communi fatu, caeterorum hominum forte proditurum in lucem; sed partu Virgineo, qui Deum factum hominem deceat.

In quibus omnibus probandis, demonstrandisque, ne qua forte nebulosa Judaeorum mentibus haereat;

neve secum pugnare sacri Codices videantur; illud simul aperiemus: quo pacto, quave ratione Christus mortalibus oriturus, alio & alio sensu pacificus, & bellator a Divinis Vatribus dictus sit, servus & Dominus, reiectus & approbatus, contemptus & honore habitus, ignotus & cognitus, pauper ac dives, aeternus & morte damnandus.

IV. Haec ubi semel in aperto fuerint, semotis jam praediciis, reducloque velo, promissum sibi Christum, velut ex facie Judaei noscent. Atque dum illis subinde, impleta salutaris adventus tempora, revolutas annorum periodos, expleta Danielis hebdomadas, ablatum Judaeae sceptrum, e-reptam Prophetiam, Templum eversum, Sacerdotium antiquatum demonstrabimus; quae omnia nascituri Christi epocham figunt, totque praenunciatas a sacris Vatribus notas, in uno Jesu nostro contentientes referemus; Christum ex facie jam norum, Judaei, si recte sapiunt, amplectentur: sin minus, quid nisi caecam obtinationem incusabimus? Hoc igitur nobis consilium: haec instituta de Christi adventu disputationis, quae primum hic locum obtinet, idea atque conceptus.

V. Id unum in votis est, ut qui e Judaeorum grege bonarum artium studii delectantur, quales in Italia plurimos novi, hujusce argumenti tractatione nequaquam absterreantur, sed inviterunt multo magis. Ego quidem pro ea, quae Christianis inesse debet, humanitate, tela ipsa, quae feram, melle subliniam, pietate non minus, quam doctrina pugnabo: ut vel ex ipsa tuenda Christianae causa ratione, Judaei facile colligant, penes illos veram stare religionem, qui ita modeste norunt de religione disputare.

Nos vero quotquot Christiana professione ac nomine sumus; genus electum, gens sancta, filii promissionis, hanc ipsam Judaeorum in Christo negando pertinaciam, ac caecitatem lucro vetamus. Hac nobis, haec primariae demonstrationis loco sit, qua Christi jamdudum nobis oborti veritatem astraemus, caeteris omnibus demonstrationibus anteponenda. Et vero, (ut hoc saltem velitari argumento in praesentia proladam) cum hanc ipsam Judaeorum obtinationem, & caecam in Christo negando pertinaciam praecinerint sacri Vates; tum maxime Jesum a Nazareth Christum verum esse Judaei probant, dum pertinaciter negant; ipsaque Prophetias implent, dum impletas inficiantur.

VI. Quid enim sacris in Litteris luculentius expressum, quam futura Judaeorum in Christum perfidia, obstinatio, pertinacia, ob quam a Deo rejici, ac reprobari meruerunt? Isaiae Cap. 1. v. 2. *filios nutriti & exaltati, ipsi vero spreverunt me: cognovi bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Ve genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Osee Cap. 9. v. 27. *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.* Jeremiae Cap. 5. v. 21. *Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis.* Et post pauca v. 25. *Populo huic factum est cor incredulum, & exasperans; vesierunt & abierunt.* Tum Cap. 8. v. 5. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti; Astendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur. . . . Miles in Caelo cognovit tempus suum; turtur & irando & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.*

Quid disertius divinis Oraculis praenunciatum, quam Christum, in salutem quidem Israelis, mit-

tendum a Deo; eidem tamen, sua ipsius culpa, in ruinam cessurum & scandalum? Isaiae Cap. 8. v. 14. *Erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & petram scandalum duabus domibus Israel, & in laqueum; & in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi & cadent: & conturbentur, & irretientur, & capientur.*

Quid frequentius inculcatum, quam Judaeorum in sacris Litteris intelligendis, exponendisque improba caecitas, mentisque stupor & cordis? Isaiae Cap. 29. v. 10. *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; propbetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicentque, lege istum; respondebit, non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras; diciturque ei, lege; & respondebit, nescio litteras. . . . Ideo ecce ego addam, dicit Dominus, & admirationem addam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim scientia a sapientibus ejus, & intellectus locudentum ejus abscondetur.* Isaiae Cap. 6. v. 9. *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere: videte visionem, & nolite cognoscere. Excaca cor populi hujus, & aures ejus aggravatae, & oculus ejus claudet; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Jeremiae Cap. 8. v. 9. *Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & lex Domini nobis sumus est; Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis.* Ezechielis Cap. 12. v. 2. *Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habet ad videndum, & non videt; & aures ad audiendum, & non audit: quia Dominus exasperans est.* Et alia id genus pene sexcenta, quae commemorare longum esset.

Illum ergo, colligo ego, Christum verum esse fatendum est, quem Judaei pertinaciter diffidentur; eum & id a sacris Vatribus fuerit praenunciatum, futurum ut venienti Christo pertinaciter repugnant. Fatendum, verum illum esse liberatorem a Deo missum, in quo scandalum passus sunt caeci homines; cum & id praedixerit Isaiae, fore ut in eum, tanquam in offensionis petram impingerent. Fatendum, praeposteras esse ac spurias, quas e sacris Litteris erueri sibi videntur, promissi Christi Domini notas, & characteres; cum & id Prophetae veteres praemonuerint, fore ut in Scripturarum intelligentia ceciderent. Fatendum, uno verbo dixerim, nunc maxime Prophetias impletas esse, dum negant; quandoquidem haec ipsa illorum negatio prophetice Oraculis praenunciata est.

VII. Atque hic certe divinarum judiciorum altitudinem demirari licet; dum gentem integram, nusquam licet imperitantem, ubique tamen incolam, Christiano nomini praeceteris inimicam conspicimus; servandis illis ipsis, quos minus intelligit, veteris Testamenti Codicibus excubantem; signatosque sibi libros, nobis apertos, ac referatos, toto orbe circumferentem, ut inimicos nostros, quemadmodum loquitur Augustinus, librorum nostrorum custodes, ac bajulos habeamus, qui & fidei nostrae, & perfidiae suae chyrographum gestent. Ita providente supremo Numine, ne ulla de nobis oriri suspicio possit, num forte sacros illos libros, quibus praenunciatus est Christus noster, supposuerimus, quod de nobis suspicari Gen-

tiles facile possent, nisi Judaeos praeceteris nobis inoffensos, fidei iustos haberemus. Augustini observatio est, in Enarratione 1. in Psalmum 58. *Per omnes gentes, inquit, dispersi sunt Judaei, testes iniquitatis suae, & veritatis nostrae. Ipsi codices habent, in quibus prophetae est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentiam obstruxerit, & admirans putaverit a nobis esse conscriptas: de Codicibus Judaeorum probamus, quia hoc totum praedictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos. Quod ut feliciter cederet, Judaicam gentem, Romanorum licet armis devictam, subjugatamque, deleri tamen omnino noluit Deus, sed servari; constantque legis suae signum in omne aevum tenacissime custodire: ut objecta semper oculis nostris reprobatas nationis imagine, summam Dei in nos, quos sibi in gentem elegit, misericordiam agnosceremus. Quod pie perinde, ac erudite prosequitur sanctissimus Doctor, ita Christum Dominum, Romanos Judaeorum domitores alloquentem inducens: *Istos inimicos meos, ipsaque, qui me occiderunt, nolite occidere. Maneat gens Judaeorum. Certo victa est a Romanis, certe deleta est Civitas eorum: non admittuntur ad Civitatem suam Judaei, & tamen Judaei sunt. Nam omnes istae provinciae a Romanis sunt subjugatae; Judaei tamen manent cum signo suo: nec sic victi sunt ut a vicioribus absorberentur. Non sine causa Judaeos Cain ille est, qui cum fratrem suum occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum, quod habent Judaei: tenent omnino reliquias legis suae, circumciduntur, Sabbata observant, Pascha immolant, azima comedunt. Sunt ergo Judaei, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus gentibus. Quare haec? Ut demonstraret nobis Deus in inimicis nostris misericordiam suam. In ramis superbiae praecisis, infero misericordiam suam demonstravit oleastro. Ecce ubi iacent, qui superbi erant: ecce ubi insertus es, qui tunc jacebas. Et tu noli superbire, ne praecidi merearis.**

At sentio, me plus justo haerere in limine. Quod igitur haec delineavi, aggrediendum est opus: resque ipsa tota distincte, ac per partes facienda. Quare proxima Exercitatione primam notam, ad quam promissi Messiae agnitionem exigere Judaei solent, distincte resilem, oppositamque statuemus; qua non modo Judaeos, verum etiam exteras Gentes, Messiae ministerio, vocatum iri demonstrabimus.

EXERCITATIO II.

De prima praenunciata Christi nota; Genium scilicet vocations, & abolitione Idololatriae.

I. Nota est illa Judaeorum, cum recentium, tum veterum aberratio, unde prima fluxit caecitatis ac perfidiae labes, Aud. Orn. Christum Prophetarum vaticiniis praenunciatum, Judaeos dumtaxat, quibus singulariter promissus est, vocatum, liberatum, beatorum: reliquis vero gentes, tanquam electi populi inimicas, despecturum, & caecis Idololatriae tenebris demersas, sacro furore deleturum. Hoc sibi primum venturi Christi criterium fabricati sunt miseri homines, hanc primam promissi liberatoris notam posuere, ad cuius normam ejusdem agnitionem pertinaciter exigunt. Eoque jacto fundamento, Jesum nostrum, eo maxime titulo, Christum esse diffidentur; nec nisi

* Quod hic asserit Augustinus, Judaeos Pascha immolare, confirmat Lactantius lib. 4. Instit. cap. 26. Negans tamen Justinum Martyr in Dialogo cum Tryphone, & Origenes Homilia 1. in Librum Josue: nec ve ipsa fieri potuit extra quod victimas immolare atque offerre, veterum illis est, Deuteronomii 16. 2. 5.

nisi impostorem, ac seductorem fuisse putant, quod Gentiles, non secus ac Judæos, vocandos sibi sumperit; Ecclesiamque promiscua Judæorum, atque Gentilium societate constam instituerit.

Hoc primum Judaicæ perfidiæ caput oppugnamus aggredimur, eoque maxime titulo Jesum nostrum verum esse Messiam, seu Christum ostendimus, unde illi pertinaciter negant. Quocirca adversis omnino vestigiis incessuri, duo hæc præsentis exercitatione demonstranda sumimus: Primum, Christum sacris oraculis prænunciatum, non Judæos tantum, verum etiam Gentiles, atque illos maxime fuisse advocatum: Alterum, quod præcedentis confectarium erit, Jesum Mariæ filium primas illas veri Messiae partes feliciter implevisse, nec alium idcirco expectari merito posse.

II. Et certe, quod ad primum caput attinet, tam crebris, tamque dilucidis sacrarum Scripturarum oraculis, gentium vocatio prænunciata est, tanquam primarius venturi Christi character, notaque potissima, ut mirari omnino subeat, Judæos eo in capite cœcuisse. Enim vero promissi Messiae imperium, non uno privato Judæa tractu concludunt sacri Vates, non uno Chananæ sinu definiunt; sed toto, qua late patet, orbe diffundendum constanter: eumque non modo Jerosolymis, totaque Judæa, verum etiam in Gentibus regnatarum disertissime profertur. Id porro quæ ratione verum esset, si soli Judæi, spreto, contemptis, ac reprobatibus Gentibus, in Christi fidem, & clientelam vocandi erant? Scripturarum elenchum, & indicem texendum aggrediar, si cuncta ad id evincendum opportuna Oracula referre vestim: pauca seligam, unde cætera nosse liceat.

Genesis Cap. 12. v. 3. ubi Christus ex semine Abrahamæ nasciturus prænunciatur: *In te, inquit Deus, benedicentur universæ cognationes terre.* Tum subinde Cap. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terre.* Ac demum Cap. 49. v. 10. ubi mittendus Messias promittitur de Tribu Juda, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium.* Ut hinc videamus, prima Dei oracula, quibus benedicentur est Christus, non Judæorum dumtaxat, sed universarum cognationum, atque gentium benedictionem, liberationemque promississe.

Sed & longe disertius Propheta Regius, Psalm. 2. v. 8. *Postula a me, & dabo tibi gentes, & possessionem tuam terminos terre.* Psalm. 17. v. 44. *Eripies me de contradictionibus populi, constituas me in caput gentium.* Psalm. 21. v. 28. *Remiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terre: & adorabunt in conspectu ejus universæ familie gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse Dominabitur gentium.* Psalm. 71. v. 8. ubi venturi Messiae imperium describitur, *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* . . . *Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Psalm. 85. v. 9. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

Regio Vari mire concinit Isaias, venturi Messiae officium describens Cap. 49. v. 6. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & feces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terre.* Et Cap. 55. *Ecce testem populus dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Quasi venturi Messiae ministerii pars maxima, in Gentilium conversione, institutione, atque salute procuranda, posita esset.

lis robur addit Isaias Cap. 11. v. 10. Ubi venturum Messiam ex radice Jesse, seu ex familia David, tanquam furculum oriturum prænuncians; eundem Gentibus dominaturum, Gentisque spem suam omnem in illum habituras vaticinatur. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Seu ut habent Septuaginta Interpretes, ab Apostolo laudati ad Romanos 15. v. 12. *Erit radix Jesse, & qui exurgit regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.* Neque enim reponi potest, quod olim Theodoretus etate, Judæi jaclabant, Zorobabilem eo loco portendi: quippe qui paucis admodum Judæis præfuit; imo nec præfuit, sed ex Babylone illos in patriam reduxit; Gentibus vero plane nullis imperavit, ac jura dedit. Longe minus obtendi potest, quod Grotius nuper effutiit: *Ezechiae Regis ortum eo Vaticano prænunciari.* Equi quæso, Deus bone! Venturi enim cujuspiam ex stirpe Davidica Dominatoris atque Rectoris ortum prænunciatur Isaias, loco illo: *Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. . . . Erit in die illa radix Jesse &c.* At quo tempore solum est illud Isaiæ oraculum, multos jam annos numerabat Ezechias. Achafo enim regnante scripsit Isaias, ut ex Capite illius septimo compertum est: regnavit autem Achaos annos sexdecim, lib. 4. Regum Cap. 16. v. 2. cui cum demum successit Ezechias, annum jam vigesimum quintum agebat. Ut ileam, nunquam Gentibus imperitasse Ezechiam, nunquam supplicanti Gentium vota excepisse; ut de illo ab Isaiam dici potuerit: *Ipsam gentes deprecabuntur. . . . In eum Gentes sperabunt.* Restat ergo ut de solo venturo Messia sit dictum.

Facebat ergo vana illa Judæorum gloriatio, qua promissi Messiae imperium, religionem, ac fidem, in uno Judæa tractu concludunt: Gentileque procul a Dei cognitione, atque benedictione perpetuo fore, ambitiosius ariolatur. Imo vero hanc præ cæteris adorientis Messiae notam designavit Isaias, quod ejus etate gentes in domum Dei Jacob venturæ essent, legemque de Sion exeuntem fideliter amplexuræ: *Et erit, inquit ille Cap. 2. v. 2. in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Cui & suffragatur Zacharias Cap. 2. v. 11. *Et applicabuntur gentes multe ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.*

III. Quid plura? Minus sacris Vatis visum est, venturi Messiae imperium, religionem, ac fidem ad omnes terræ tractus, atque ipsos quoque Gentiles protendisse: Ne quis forte hac in re falleretur, neve totum id de Judæis per varias Mundi Nationes, ac gentes dispersis dictum acciperet, quos Christus collecturas esset, atque ad se vocaturus; non de gentilibus ipsis, Idololatris, ignotisque Deo populis, Deumque nescientibus, ab eodem vocandis, atque ad veri Dei cultum traducendis: illos ipsos a Deo vero alienos populos perinde vocandos, convertendosque prænunciatur Sacri Meo. Osee Cap. 2. v. 24. *Dicam non populo meo populus meus es tu: & ipse dicit, Deus meus es tu.* Isaiæ Cap. 75. v. 5. *Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis; & gentes, que te non noverant ad te current, propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Israel, quia glorificavit te.* Cap. 18. v. 7. *In tempore illo deserent munus Domino exercituum a populo drosulo, & dilacerato a popu-*

a populo terribili, post quem non fuit alius; a gente expectante, expectante, & concitata. Cap. 65. v. 1. *Quæserunt me, qui ante non interrogabant; irruerunt, qui non quæserunt me. Dixi ecce ego, ecce ego, ad gentem que non invocabat nomen meum.* Cap. 31. v. 7. *In die illa abiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, que fecerunt vobis manus vestre.* Cap. 17. v. 7. *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum: & oculi ejus ad sanctum Israel respicient: & non inclinabitur ad altaria, que fecerunt manus ejus: & que operati sunt digiti ejus non respicient, lucos & delubra.* Quibus paria leguntur Cap. 2. v. 17. 18. 19. 20. & Psalm. 17. v. 45.

IV. Quin etiam, quod notandum magis, eas quoque speciatim Gentilium nationes ad veri Dei cultum convertendas significatur, quæ densioribus ignorantia & idololatriæ tenebris involuebantur; quæque Judaicum populum odio præ cæteris impabili proferebantur: ut fatuam illam gloriationem, atque jaclantiam Judæi deponant, quæ cæteros veluti canes, & a vero Deo segrege despiciant. Equæ enim gens Idololatriæ tenebris immerfa magis, quæ Natio Judæis magis infensa, quam Egyptus? Et hanc tamen, depulsa Idololatria, verum Deum agnituram, & adoraturam vaticinatus est Isaias Cap. 19. v. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terre Egypti, & titulus Domini iuxta terminum ejus, erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Egypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulationis: & mittet eis Salvatorem, & propugnatores, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Egypto, & cognoscet Egyptii Dominum in die illa; & volent eum in hostis, & in muneribus; & vota erubunt Domino, & solvent.* Vaticinatus perinde est Ezechiel Cap. 30. v. 13. *Hæc dicit Dominus Deus: disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis: & dux de terra Egypti non erit amplius, & dabo verorem in terra Egypti.* Non ablimiliter Zacharias Cap. 13. v. 2. *Et erit in die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum in terra (Egypti,) & non memorabuntur ultra: & pseudo prophetas, & spiritum immundum auferam de terra.* Quæ gens idololatriæ tenebris immerfa magis, aut quæ Judæis magis infensa, quam Assyrii? Et hos tamen verum Deum, depulsa idololatria, adoraturos prænunciavit Isaias idem, Cap. 17. v. 13. *Et erit in die illa, clangetur in tuba magna, & venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum, & qui ejecti erant de terra Egypti: & adorabunt in monte sancto in Jerusalem.* Quæ gens idololatriæ tenebris immerfa magis, aut quæ Judæis magis infensa, quam Babyloniæ, Æthiopes, Tyrii, Sabaæ, Madianitæ, Ephæi, aliæque id genus? Et hos tamen ad veri Dei cultum accessuros Sacri Codices attestantur. Psalm. 86. v. 4. *Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me: ecce alienigenæ, & Tyrius, & populus Æthiopyum, hi fuerunt illi: Nimirum in Sion civitate sancta, de qua illic sermo venit. Psalm. 41. v. 9. *Coram illo, Christo scilicet venturo, præcident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, & Insulae numerata offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducunt; & adorabunt eum omnes Reges terre, omnes gentes servient ei.* Isaiæ 60. v. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Levata in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filia tue de latere surgent. Tunc videbis, & astutes; mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando converfa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camellorum operiet te, dromedarii Madian, & Ephra-**

Omnes de Saba venient, aurum, & ibus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Quæ gens tandem Judaico populo magis infensa, quam quæ Jerosolymam devastavit? Et hanc tamen verum Deum adoraturam vaticinatus est Zacharias Cap. 14. v. 16. *Et omnes, qui reliqui fuerunt de universis gentibus, que venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adrent Regem Dominum exercituum.*

Alia id genus pene sexcenta missa facio Scripturarum oracula; quibus Gentium vocatio, atque ad veri Dei cultum religiosa conversio, uti primarius venturi Messiae Character denunciatur. Legat, qui volet, integrum Isaiam, maxime vero a Capite 42. ad 66. Jeremiam Capitibus 3. 4. 16. & 31. Oseam Capitibus 1. 2. & 3. Joelem Cap. 2. Amos Cap. 9. Michæam Cap. 4. Sophoniam Capitibus 2. & 3. Aggaum Cap. 2. Zachariam Capitibus 2. 8. 9. 13. & 14. Malachiam Cap. 1.

V. Jam vero, ut ad alterum positæ assertionis Caput accedam; Jesum nostrum primas illas promissi Messiae partes feliciter implevisse; gentisque idololatrias ad veri Dei cultum, partim se ipso, partim discipulorum ministerio revocasse, adeo notum est, ut negari a nemine possit. Ex quo enim generale mandatum Apollolis a Christo Domino datum est, *Marthæ Cap. 28. v. 19. Exeuntes docete omnes gentes:* Marci Cap. 16. v. 19. *Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creature:* jam tunc destinatione, atque mandato abolita est idololatria, præclara conversio gentium: Cum contra, stante Mosaica lege, utpote quæ non erat universis gentibus prædicanda, ne mandato quidem, atque destinatione, gentium conversio peragenda esset, aut abolenda illarum idololatria. Progressu vero temporis ita promotum est sacrum opus, ut vix ulla jam toto orbe natio sit, gens ulla, quæ saltem uni vero Deo non serviat. Omnes, tanetsi sacris, ac ritibus dissidentes, Deo vivo, ac vero, fugata idololatria, thus adolent. Ac si quis forte est Orbis angulus, ubi etiamnum idola colantur; is, novis in dies missis Evangelii præconibus, eruditur, paulatim vocatur ad fidem; & a prophanis suis ritibus, ad puram, castamque fidei professionem, reperitis decretis Pontificiis, avocatur. Sic ut ea vocandarum gentium, & eliminandæ idololatriæ prophetia, quæ prima Christi venturi nota data fuerat, & impleta jam dudum sit, & in dies cumulatius impleatur; donec in sæculi fine ex integro periciatur; & consummetur: Juxta Apostoli dictum 1. Corinth. Cap. 15. v. 28. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

VI. Nunc quid ad hæc Judæi? Nonnulli generis sui gloria tumidi, quique gentiles non secus ac canes miseris despiciantur, frigide reputant, promissiones de Christo venturo, Judæis solis factas esse, non gentibus. Sic ita porro, ut volunt, non id obest, quominus Christus ille solis Judæis promissus, gentibus etiam salutem esset allaturus: id quippe laudata jam oracula distincte significant. Abrahamæ E. G. promissus est Christus: at non qui solos Abrahamæ posteros liberaret, sed universas terræ gentes, & cognationes; ut loca Genesios a me laudata diserte testantur. Judæa promissus est Christus, ex ejus femore nasciturus: at non Judæis solis profuturus, sed gentibus, a quibus etiam expectabatur; ut indigitatus a me locus ostendit. Atque ita de reliquis promissionibus. Solis ergo Judæis promissus est Christus, quia apud eos solos & Moyse, & Propheta verfabantur, iisque solis eloquia sua

crediderat Deus: at non pro solis Judæis promissus est, sed pro his omnibus, qui invocant nomen ejus. *An Judæorum Deus tantum, nomine & Gentium? Ino & Gentium.* Rom. Cap. 3. v. 19.

Quamquam & id inficari omnino possumus, solis Judæis promissum fuisse Christum, tamen specialiori sane modo fuerit illis prænuñciatus. Annon enim inter Moabitas venturum Christum prænuñciavit Balaamus, Deo ita volente, ut inter barbaras etiam gentes Christum utcumque agnosceret? Prophetiam refert Moyses ipse, Num. Cap. 27. v. 7. *Orietur stella ex Jacob, & confurget virga de Israel, & percussiet duces Moab, vastabitque filios Sæb.* Quo oraculo excitatos Magos, observant Ecclesia Patres, ad Christum natum requirendum. Annon inter Idumæos venturum liberatorem vaticinatus est Job, cujus liber a Judæis uti facer agnosceretur? Annon inter Ninivitas Prophetæ munus auspiciatus est Jonas? Non uni ergo Judæo populo, verum etiam gentili, a sacris Vatribus promissus est Christus. Primas itaque sibi arrogat Judæi, quantum liberit, quod credita illis fuerint elogia Dei, Rom. 7. v. 2. quod prima, nobilioraque venturi Messie vaticinia exceperint; per me licet: *Non enim fecit (Deus) taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Psal. 147. v. 20. At primas alio ex capite, potiorique jure sibi gentiles arrogabant, quod priores venienti Christo sint obsecuti, ipsique Judæis prælati fuerint; Deo ita futurum prænuñciante, ad Judæorum superbiam retundendam: Deuteron. Cap. 28. v. 43. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior: ipse senerabit tibi, & tu non senerabis ei: ipse erit in caput, & tu eris in caudam.* Et Ezechielis Cap. 17. v. 24. *Ego Dominus humilioris lignum sublime, & exaltavi lignum humile, & stercoravi lignum viride, & frondere feci lignum aridum.* Quod de Judæis, ac gentilibus dictum nemo nescit.

Illud enim vero prima Dei destinatione fuerat constitutum, ut Judæis primum salutis via panderetur. Hinc Christus Dominus, Matthæi 15. mulierem Chananzæam, de sinibus Tyri egressam repulit ut indignam; non esse bonum, inquiens, panem filiorum dare canibus: seque missum dumtaxat professus est, ad oves que perierunt domus Israel. Ac tum Apostolos fidei factores mittens, Matthæi Cap. 10. v. 5. *In viam Gentium, inquit, ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Verum Judæis Evangelium salutis repellentibus, in eorum sortem Gentiles ingressi sunt. Quod in Actibus Apostolicis discrete significarunt, Paulus & Barnabas Cap. 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellistis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Idemque futurum prænuñciaverat Christus, Matthæi 21. *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

VII. Reponunt alii hebraicæ legis doctores, quos de more Rabbino dicunt, frustra jactitare Christianos, Gentes ad veri Dei cultum convertas esse, Jesu Nazareno adorientem, ejusque Discipulis prædicantibus; cum inter Christianos ex Gentilibus majori ex parte coalescentes, tot hæreses, tot sectæ, tot schismata reperiantur; a quibus nos ipsi, qui Catholici dicimur, abhorremus. Non ergo, inquit, veri Dei cultus toto orbe diffusus est: quandoquidem nec una toto orbe Christiana religio viget.

Mirari profecto subit, Judæos eo nos telo petere, quod non hebetare modo, sed & in illos

regerere facile fuerit. Imprimis enim, in quacumque tandem Christianorum secta, quocumque in schismate, unus verus, depulsa idololatria, colitur Deus: quod adorantem Christo futurum, Prophetæ veteres prænuñciarunt: Stat ergo vel ex hoc solo capite, quod hæcenus argumentum profecuti sumus. Dicant tamen amabo, (quandoquidem de Christiana religionis veritate cavillantur) numquid vera inter Judæos Religio fuit olim? Non id profecto Judæi negabunt, qui veram etiamnum religionem apud suos extare contendunt. At nonne quo tempore apud Judæos religio florebat maxime, sectis, & schismatibus scindebantur? Numerabantur enim Samaritani, Saducæi, Pharisei, Hemerobaptista, Herodiani, alique non pauci, doctrina, & ritibus inter se se, non minus distantes, quam inter Christianos Ariani, Manichæi, Nestoriani, Eutyriani, Pelagiani, Calvinistæ, Lutherani. Quorum vero tot inter sectas vera nihilominus stabat Judæorum religio? Causas assignant Hebræi numero plures, nobis perinde ad solvendum nodum istum accomodas. Primam, quia, inquit, omnes & Samaritani, & Saducæi, & Herodiani, & Pharisei verum, & unicum Deum adorabant. Bene est: at adoramus & nos unicum, quotquot Christiani nominamur, tamen sectis, & hæresibus scindamur. Secundam afferunt rationem, quia omnes Moysen, uti legislatorem agnoscebant, ejusque libros ampledebantur; tamen a nonnullis falsis interpretationibus inquinatos. Et id bene: At agnosimus & nos omnes Jesum, ut Christum Cælo demissum, ejusque Evangelium, tamen a nonnullis sinistra interpretatione vitiatum, excipimus. Tertiam rationem addunt, quia religionis Judaicæ orthodoxia, & puritas in primo stipite, unde ceteri omnes spurii palmites pullularunt, innoxia stabat; nihilque primæ originis sanctitati offidebant cænosivi rivuli derivati. Hoc & nos usurpamus: Christianæ religionis orthodoxia, & puritas, nobis Catholicis & Romanis, uti primo stipiti, unde tot illa sectæ derivarunt, integra hæret: nec quidquam Christiani nominis sanctitati officunt tot illa pestes, ac sectæ, quibus quotidie scindimur. Aut ergo nullam apud se se religionem fuisse Judæi dicant, quo tempore tot illis schismatibus scindebantur; aut veram apud Christianos tot inter hæreses, religionem florere posse fateantur.

VIII. Queret fortasse nonnemo, qui Christus expectatio Gentium dicatur, Genesis Cap. 49. v. 10. uti & desideratus cunctis Gentibus, Aggæi Cap. 2. v. 8. cum nec desiderari, nec expectari ab iis possit, qui nullam, aut certe levissimam futuri illius adventus notitiam habebant? Respondeo, potuisse plane, in eum fide modum, quos res etiam inanimas ea desiderare, atque expectare dicuntur figurate, quæ sunt illis maxime necessaria, etsi nullam illorum notitiam habeant: ut terra de celo pluviam expectare dicitur, Deuteronomii Cap. 11. v. 11. *Frustrum desiderare nubes,* Job Cap. 37. v. 11. *Arca strive imbrem,* Joëlis Cap. 2. v. 20. Sic itaque Gentes, ad quarum salutem Christi adventus necessarius omnino erat, eundem expectare, ac desiderare sunt dicte, quamquam illis esset ignotus. Aut certe id dictum, non de desiderio, atque expectatione, Christi adventum, ejusque fidem præcedente; sed de desiderio salutis obtinendæ per Christum, post cognitionem, ac fidem de illo habitam, ex quo demum advenit, illique nunciatus fuerit. Ut fiteam, non omnibus omnino Gentibus fuisse profus ignotum; promissum Judæis liberatorem & Christum: quod ex Balaami, & Jobi historica perspectum est.

EXERCITATIO III.

De altera prænuñciati Christi nota; sublato scilicet Levitico Sacerdotio, neque inducto.

I. **Q**uam ante dies aliquot institutum viam, eandem hodie tenere pergitur, Aud. Ornat. Alteram Judaicæ cæcitatibus aberrationem, qua in diffidendi Christi promissi characteribus hallucinantur, hodierna Exercitatione confutamus. Ea scilicet Judæorum animos jam dudum occupavit opinio, leviticum legis veteris Sacerdotium, utpote a Deo Optimo Maximo solenniter institutum, perenniter fuisse duraturum; tantumque abesse, ut a promisso Christo rescindi, abolerique possit; ut potius ab illo instaurandum omnino sit, novaque solennitate celebrandum. Quo semel jacto perfidia fundamento, necessaria consecutione subinde colligit, Jesum nostrum falsum prorsus Messiam esse, imo verius hominum seductorem, divinæque institutioni profus injurium, qui sublato levitico Sacerdotio, novum apud suos instituit, falsaque religione populos informavit. Quid ergo nos in præsentia agere oporteat, ut Judaicam hallucinationem refellamus; Jesumque Mariæ filium ex hoc ipso principio, verum esse Messiam, demonstremus, unde illi pertinaciter negat? Hoc unum ex opposito demonstrandum incumbit: leviticum legis veteris Sacerdotium, tamen divinitus institutum, certo dumtaxat tempore fuisse duraturum, finemque sub Messie temporibus habiturum. Ita fiet, ut opposita consecutione colligamus, Jesum nostrum idcirco maxime veri Messia nomine dignum esse, quod leviticum Sacerdotium alegarit, novumque Sacerdotii, ac Sacrificii genus induxerit.

II. Tria maxime in levitico legis veteris Sacerdotio Scripturæ notant, quibus & illud ex integro constat: victimas videlicet offerendas, Sacerdotes offerentes, locum, ubi esset Sacrificium offerendum. Victimam offerendas designaverat Deus, certa animalium genera, boves, agnos, arietes, aliaque id genus, que in libris Moïseis adnotantur. Sacerdotes oblaturos elegerat, non quovis ex ordine, sed ex unica Tribu Levi; imo intra Leviticam Tribum, ex sola Aaronis familia oriundos. Locum demum, ubi esset Sacrificium offerendum, designaverat, non qualemcumque, & pro arbitrio seligendum; sed Tabernaculum Domini, ac tum postea Salomonium Templum, extra quod Sacrificium omne prophanum erat. Porro tria hæc, tamen divinitus instituta, victimas, Sacerdotes, & locum, immutanda fore, adeo dilucide prænuñciarunt sacri Vates, ut stipites, ac plumbeos esse oporteat, quotquot id pertinaciter negent.

III. De Singulis dicam ex ordine. Ac primo quidem, quod attinet ad victimas offerendas, eas tandem aliquando rejiciendas fore, discrete pronunciat Isaias Cap. 1. v. 3. idque ob horrenda Judæorum scelera, atque ob illud maxime, quo Deum suum ignorarunt, manufque effuso Christi sanguine inquinaverunt. *Cognovit bos, inquit, Prophetam, possessorem suum, & astutus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit. Va genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filii sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum . . . v. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, holocaustis arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum novi. Cum veneritis ante conspectum meum, Sery Tomo III.*

quis questus hæc de manibus vestris, ut ambularetis in arvis meis; Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Nomeniam, & Sabbatum, & festivitatem vestram non feram, iniqui sunt cæus vestri. Calendæ vestras, & solemnitates vestras odit anima mea: Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, averam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestre sanguine plene sunt. Nec minus aperte Jeremias Cap. 6. v. 20. *Ut quid mihi tibus de Saba afferitis, & calanum suave olemem de terra longinqua? Holocaustata vestra non sunt accepta, & victima vestra non placuerunt mihi. Amos non ab similiter Cap. 5. v. 21. Odi, & projecisti vestras vestras: non capiam odorem cærum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocaustata, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam. Ac demum Michæas Cap. 6. v. 6. Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excessu; Numquid offeram ei holocaustata, & vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, & in multis millibus hircorum pinguium?*

IV. Reponunt forte Judæi, nihil aliud hæc oracula sibi velle, quam tot illa victimarum genera, totumque illud solennitatum Judaicarum apparatus, Deo minime probari; non quod res ipsa exoleverint, aut ultra offerri, celebrari que non possint: sed quod impuris forte mentibus ac manibus offerrentur. Quo casu etiam florente Moïsaica Lege, ingrata nonnumquam erant sacrificia.

Verum quantum illos ea interpretatio fallat, ostendit Regius Vates, dignus ceterorum Prophetarum interpres. Is enim Christi adventum prænuñcians Psalmo 49. Judæorum sacrificia improbatum iri significat; non quod holocaustata, & sacrificia per se se spectata Deo displiceant; sed quod ille offerendorum animalium ritus fit abrogandus, novumque Sacrificii genus instituentum. Clariora verba sunt, quam ut cavillari quis possit: v. 7. *Audi populus meus, & loquar Israel, & testificabor tibi. Deus meus ego sum: non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. . . Immola Deo Sacrificium laudis, & reddo Altissimo vota tua. Ubi Deus paratum se quidem, promittuntque significat ad sacrificia, & holocausta suscipienda; sed aliud jam velle Sacrificii genus inuit, quam quod Aaronico ritu celebratur, vitulorum ac pecudum mactatione. Quocirca Psalmo 109. quem integrum Christo promissum accomodat Hebræorum doctissimi, Christi mittendi Sacerdotium, non secundum Ordinem Aaronis, sed secundum Ordinem Melchisedech, futurum afferunt, v. 4. *Juravit Dominus, & non penitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.* Nempe ut intelligamus, non jam sub Messie imperio pecudes Aaronico ritu mactari in sacrificiis oportere; sed instar Melchisedechis, panis, & vini Sacrificium offerendum esse. Is etenim, uti nostis, panem, & vinum obtulit Domino, Genesis Cap. 14. v. 18.*

Accedit alterum observatio dignissimum: non modo a sacris Vatribus prænuñciatum esse, fore ut Deus Judæorum Sacrificia reprobarat; verum etiam veteres Hostias, & Sacrificia penitus cessatura occiso Christo: ne ultra cavillari Judæi possint. Danielis Cap. 9. v. 26. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus. . . & in dimidio hebdomadis desiciet Hostia, & Sacrificium.* En primum de victimis, & Hostiis offerendis.

V. Jam vero, si Sacerdotes offerendo Aaronico Sacrificio destinatos perpendamus, Judæi mul-

to facilius causa cadent. Tantum enim adest, ut viros de Tribu Levi, ac de familia Aaronis perpetuo seligendos voluerit Deus, qui etiam post Messia tempora, Aaronicum Sacrificium offerant; quin contra potius, Judais omnibus in sceleris penam interdictum a Deo legimus, ne ultra Sacerdotale munus obirent. Osee 4. v. 6. *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Et oblitus es legis Dei tui, oblitiscar filiorum tuorum, & ego.* Ezechelis Cap. 34. v. 10. *Hec dicit Dominus Deus: ecce ego super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, & pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.*

Quid plura? Non modo Judais interdicendum Sacerdotale munus, contestatus est Deus; sed etiam e numero Gentium (quod notandum maxime) Sacerdotes, & Levitas electurum se declaravit; ex Africanis, & Lydis, ex Gracis, & Italis, exterisque Nationibus Dei nomen antea ignorantibus, ut Sacris Altaribus administrarent. Sic ut nulla jam foribori dubitatio possit, quin Aaronicum Sacerdotium temporarium esset, & adventante Christo penitus abrogandum. Ecce ego, inquit Deus, Isaia Cap. 66. v. 18. *venio ut congregem ex omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam; in Italiam, & Graciam, ad Insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. . . . Et assumam ex iis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus. Volente itaque Domino antiquatum est Aaronicum Sacerdotium, ex quo ad Gentiles translatum est. Illud enim ita Leviticæ Tribui assertum erat, ut si quis forte alia stirpe fatus thuribulo manum admoveret, capite plecteretur. Numer. Cap. 16. v. 40. *Ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino; ne patiat, sicut passus est Core, & omnis Congregatio ejus loquente Domino ad Moysen.**

VI. Sed quid tandem, si locum offerendo Aaronico Sacrificio destinatum perpendamus? Compensio confecta res erit. Enim vero, in solo Tabernaculo Domini, ac tandem in solo Salomonis Templo, offerendum erat Aaronicum veteris Testamenti Sacrificium, ut in confesso est apud Hebraeos: & tamen spondit Deus, futurum aliquando, ut grata, & propitia Sacrificia ubivis gentium extra Salomonium Templum, extra Judæam, ac in ipso exterarum Nationum sinu offererentur. Malachia Cap. 1. v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Apertius vero Isaia Cap. 19. v. 19. ubi venturi Messia beata tempora describuntur: in ipsa etiam Aegypto, & ab ipsis Aegyptiis offerendum tunc Sacrificium declaratur: *In die illa erit Atrave Domini in medio terre Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum ejus erit in signum, & testimonium Domino Exercituum in Terra Aegypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscetur Aegyptii Dominum in die illa, & colent eum in hollis, & in numeribus, & vota vocabunt Domino,**

& solvent. Et Cap. 18. v. 7. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo diverso, & dilacerato; a populo terribili, post quem non fuit alius; a gente expectante, expectante, & concitata, cujus diripuerunt flumina terram ejus, ad locum nominis Domini exercituum, montem Syon.* Ubi est ergo illa Aaronici Sacrificii facta perennitas, ab ipomet Christo in Salomonio Templo religiose retinenda? Cum potius adoriente Christo, quovis in loco, ac in ipsa etiam Aegypto, atque ab ipsis Aegyptiis, offerri Sacrificia possint.

Et certe, cum illud promissi Messia munus potissimum esse debuerit, ut non Judæos tantum, verum etiam Gentiles toto orbe diffusos advocaret, atque in unius religionis, & fidei professionem colligeret; quemadmodum in superiori Exercitatione, locupletissimis Sacrarum Scripturarum oraculis demonstravimus; qui quæso fieri posset, ut eo Sacrificio staret Messia Religio, quæ in uno Hierosolymorum Templo, atque a solis Judæis offerendum erat? Qua lege, qua forte, stata die in hoc unum Orbis Templum, ex toto terrarum Orbe convenirent? Aliud igitur inchoatum Sacrificium opus erat, quod & ubivis, & quavis die, & ab omnibus Gentibus offerri commode posset. Messia igitur debitas partes implevit Jesus a Nazareth, dum Sacrificium typicum, ac temporarium abrogavit, novumque constituit. Sic enim erat a Sacris Vatribus prænunciatum.

VII. At fuit, inquit Judæi, ab ipso Deo Sacrificii, & Sacerdotii Levitici promissa perennitas, Jeremia Cap. 33. v. 17. *Hec dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui sedeat super Thronum Domus Israel: Et de Sacerdotibus, & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocaustomata, & incendat Sacrificium, & cedat vicimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens: hec dicit Dominus: si iridium potest fieri pactum meum cum dno, & patrum meum cum nocte, ut non sit dies, & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum David sermo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in Throno meo; & Levitas, & Sacerdotes ministri mihi. Sicuti enumerari non possunt stella celi, & maris arena maris; sic multiplicabo semen servi mei, & Levitas ministros meos. Qui ergo fieri potuit, ut & sacrificii & Sacerdotii Levitici abolitio, certa Christi venturi nota esset? Quove jure, tituloque utrumque sustulit Jesus noster, ut alterum Sacerdotii, & sacrificii genus induceret?*

Nodus hunc a Judæis perinde solvi necesse est: Quod si fecerint, erunt illi mihi magni Apollines. Si enim, inquam, sacrificii, & Sacerdotii Levitici promissa a Deo perennitas est, quid illi ab annis amplius mille sexcentis utroque perinde sunt destituti? Nec satisfacient, si forte reponant, utrumque a suo illo, quem præstolantur, Messia restitutum iri. Quamquam enim res ita foret, ex quo tamen per annos amplius mille sexcentos utrumque cessavit, ac desit, absoluto, quod illi fingunt, Dei promissum falsum est; quo nimirum spondit futurum esse, ut de Sacerdotibus & Levitis non interiret vir a facie ejus, qui offerret holocaustomata, & incenderet sacrificium, & caderet victimas omnibus diebus. At quem solvere nodum Judæi nequeunt, solvimus longe facillime, ac novum inde statuti dogmatis argumentum petimus. Reponimus itaque, duo simul, eodemque plane modo promississe Deum, laudato Jeremia oraculo: non interitum de David virum, qui sedeat super Thronum Israel, & non interitum de Sacerdotibus, & Levitis virum, qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium: seu non desuturum Israeliticum Sceptrum

de

de Domo David, & Sacerdotium de Domo Levi. Porro ex aliis Scripturæ locis, quibus perinde promissa est Judaici Sceptri perennitas, liquet aperte, non esse promissam Judaici Sceptri absolutam perennitatem, sed certis terminis circumscriptam; donec scilicet promissis Judæis Christus Mundo illucesceret: Genes. Cap. 49. v. 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. Itaque pari modo, non absoluta Sacrificii, & Sacerdotii perennitas Synagoga a Deo promissa est, sed isdem plane circumscripta limitibus; donec videlicet Christus Dominus oriretur. Quare cum sublatum jam, & Sacrificium, & Sacerdotium Leviticum nemo non videat; ipsique etiam Judæi, velint, nolint, plus satis experiantur, promissum Judaicæ Messiam, & Christum Mundo illuxisse necesse est. Addiderim, si quis forte absolutam profus Sacrificii, & Sacerdotii Levitici perennitatem Synagoga promissam velit; non alio sensu id verum esse, quam quo absolutam quoque Judaici Sceptri perennitatem promissam aliqui putant: Nempe, ut temporale Judææ sceptrum in spirituale transmutatum perennat in Christo, de quo Angelus ad Mariam dixit Lucæ Cap. 1. v. 31. *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum: ita typicum, & temporarium Levi Sacerdotium in amplius, perfectius, sanctiusque transmutatum, æternum in Christo manet; de quo Apostolus in Epistola ad Hebræos Cap. 7. v. 23. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.**

VIII. Cæterum qui nobis tam audacter item intentant miseri Judæi, de sublato Aaronico Sacerdotio, sine quo veram religionem stare non posse putant; videant ipsi quo pacto stare nunc apud se se veram religionem nobis ostendent; Videant ipsi sui suo fe gladio jugulent. Si enim, ut veritas habet, nulla sine Sacrificio, sine Sacerdotio stare vera religio potest; ostendat quæso nobis, quodnam ipsi nunc Sacerdotium, quod Sacrificium penes fe habeant. Sacrificia certe nec offerunt Judæi, nec offerre nunc possunt, juxta Ordinem Aaronis, quem unicum jactant, & profitentur. Destruo siquidem Tabernaculo, & Salomonis Templo solo aquato nullus illis superest locus, ubi offerre nunc liceat. Sacerdotes nec habent, nec habere nunc possunt; cum suas Tribus usque adeo permixtas, & confusas habeant, ut Leviticam, ex qua sola Sacerdotes seligere fas illis est, fecerere nequeant. Quam ergo Religionem profitentur? Dicent forte, quod mihi non ita pridem illorum unus obrudebat, qui Synagoga suæ cymbalum audit: stare suæ iis posse Judaicam Religionem, imo & stetit re ipsa toto tempore captivitatis Babylonicæ, dum everfo primum Hierosolymæ Templo, in Babylone a Rege Nabucodonozor deportati fuere. Verum hallucinantur, qui ea suffragia comminuntur. Nam & tempore captivitatis Babylonicæ, Judæi non pauci subsisterant Hierosolymis; iique nomine fratrum suorum in Babylone deportatorum, hostias offerebant ad aram Domini, quæ quidem etiam everfo Templo residua manserat: aut nova illic leve opes extracta fuerat. Patet id ex Epistola Judæorum in Babylone captivorum, ad alios Hierosolymis residuos; quæ extat in libro Baruch Cap. 1. v. 10. *Misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite manna, & offerre pro peccato ad aram Domini Dei nostri. Sacrificium igitur retinebant in illis rerum suarum angustias. Habebant etiam hac ipsa tempestate Pontificem Josedechem, ut videt lib. 1. Pa-*

ralipomenon Cap. 2. v. 15. Certa etiam spe instaurandi Templi fovebantur: Deo scilicet per Jeremiam attestante, futurum tandem, ut intra annos septuaginta Templum instauraretur, Cap. 25. v. 12. & Cap. 29. v. 10. Nunc vero, post secundam Hierosolymorum ruinam a Romanis illatam, permixtis confusisque Tribubus Sacerdotes nec habent, nec habere ullo modo possunt: Templum una cum Ara Domini a Tito, & Vespasiano ita solo æquatum est, ab annis mille sexcentis, & quod excurrit, ut omnis offerendi Sacrificii, & instaurandi Templi spes sit adempta; quod cumulatius demonstrabimus loco suo. Perperam ergo eo Babilonicæ captivitatis exemplo se muniunt, ut argumentum elidant.

IX. Mitto ineptam, insulsumque quorundam Judæorum argutationem, qui, ut Levitici Sacerdotii abolitionem non esse, apud suos extrinsecæ, & antiquatæ Religionis argumentum, ostendunt, id demum clarificationis veluti jure nobis opponunt: Christianos etiam summo Sacerdote suo quandoque destitui, ut tempore Schismatis, ac toto pseudo-Pontificatu Joannæ Papiſæ. Quasi vero deficiente apud nos Pontifice Summo deficiat Sacerdotium; ac non potius multa Episcoporum, ac secundi Ordinis Sacerdotum millia superſint, ad Christianæ Religionis Sacra peragenda? Aut forte sublatum Pontifice, non stet penes Ecclesiam Catholicam, alterius eligendi, initiandique potestas? Cum contra apud Judæos, non modo Pontifex Summus, sed & totus Sacerdotum, ac Levitarum Ordo deficeret; nullaque aliorum eligendorum, initiandorumque facultas extet penes Synagogam. Quæ porro de Joannæ Papiſæ vulgo jactantur, tamen dictis nihil officunt, anilla commenta sunt, ab ipsis etiam Protestantibus, quibus aliquid pudoris est, falsi conjuncta: De quibus prolixius disputare, non est loci hujus, & instituti.

EXERCITATIO IV.

De tertia prænunciati Christi nota; sublata nimirum Lege Moſaica, notaque sancita.

I. Tertiam Judæorum in Christum nostrum criminationem attigimus, Aud. Orn. quæ illum veri Messia partibus defuisse, imo & se fe nefario sacrilegio polluisse, audacissime criminantur. Moſaicam Legem tanta solemnitate divinitus institutam, tot miraculis, ac prodigiis confirmatam, tanta religione a viris Spiritu S. afflatis custoditam, tot sæculorum tractu florentem, a Christo nostro rescissam, eliminatam, antiquatam non sine stomacho conqueruntur. Si mala lex Moſis, inquit, cur a Deo sancita? Si bona, cur a Jesu nostro rescissa? Neque satis intelligi posse ajunt, qua forte, quo fato, instituta Dei, Deo ipso volente atque jubente, rescindi aliquando debuerint; quæsi is instabilium, ac levium hominum more consilia mutet. Hinc colligunt Viri miseri, Jesum nostrum nequaquam uti Messiam habendum, sed uti fœdissimum, Deo injurium, Sacrorum imitatorum conculcatorem morte dammandum: Aliumque idcirco Messiam, a Sacris Vatribus prænunciatum expectari a fidelibus oportere; qui neglectam, & obliteratam ab hominum cordibus Moſis Legem instauraret; majoremque in lucem, & solemnitatem inducat.

Nos aliam longe viam inimus: utque Judaicam perſidiam hoc ipſo, quo nobis jugulum petunt, gladio seriamus; hoc unum præſenti Exercitatione demonstrandum aggredimur: Moſaicam Legem, tamen divinitus institutam, adventante Christo obliterari, antiquari, in novam, uno verbo

bo

bo dicam, commutari debuisset. Ita fiet, ut opposita consecratione colligamus, Jesum nostrum idcirco maxime veri Messiae nomine dignum esse, quod Legem veterem consummarit, novamque condiderit.

II. In qua quidem obunda provincia, media subeundi oneris parte levati sumus. Ea enim Superioribus Exercitationibus fundamenta posuimus, uberrimamque veterum Prophetarum testimonio confirmavimus; unde Legem Mosaicam adorientem Christo rescindi, atque in novam commutari debuisse, necessario colligamus. Si enim, uti jam demonstravimus, Christus factis oraculis prænunciatus, non Judæos tantum, ut ipsi putant, verum etiam exteras gentes toto orbe diffusas, & Judaico nomini inimicas vocaturus erat, & in fidei, religionisque societatem adducturus; novam profecto legem, alegata Mosaica, succedere opus erat. Equo enim pacto Lex unico Judaico populo data, cujus promissa uni duntaxat Abraham itirpi servabatur, universis late Gentibus accommodari potuisset? Quo pacto, toto orbe diffusi populi unicam Chananaeam terram lacte, ac melle fluentem inhabitassent, quod religiosi legis suae observatoribus Moyse promittebatur? Qua sorte universae gentes carnali Circumcisione initiandae fuissent, cum hac ad Judæos a cæteris gentibus distinguendos fuerit primitus inlita. Quod enim Judæos distinguit a gentibus, commune esse non potest Judæis, & gentibus, Quo tandem portento universi orbis populi, in unum Jerosolymam Templum convenissent, statisque temporibus confluisissent, ad Legis Mosaicæ Sacra peragenda, quæ alio in loco sine sacrilegio celebrari non poterant? Alteram itaque legem succedere opus erat, non Judæis utique peculiarem, sed quæ servari ab omnibus gentibus posset.

Rursus, si Messias Prophetarum vaticiniis nunciatus, novum Sacerdotium sublato Levitico conditurus erat, quod pariter dedimus manifestum; quis non videat, novam quoque legem sublata veteri sanciturum fuisse? Stat quippe inconcussum illud D. Pauli principium, quo Hebræos olim exagitat; principium, inquam, naturali lumine notum, Translato Sacerdotio, necesse est, ut & Legis translatio fiat, Ad Hebræos Cap. 7. v. 12. Quomodo enim sublato Levitico Sacerdotio, stare ea lex posset, cujus pars maxima in Levitico Sacerdotii cultu, ac religione versatur? Jam ergo in antecessum ex positis, probatissime fundamentis contra Judæos præjudicata res est.

Non ita tamen morosi sumus, nec in asserenda veritate adeo parci, quin illos novis momentis, iisque nil minus validis refellamus. Et sane, fœdus novum, pactum novum adventante Messia a Deo cum hominibus inendum, illudque non temporarium, sed æternum, tam sæpe Sacris in litteris prænucciatur, ut plane mirari subeat, Judæos eo in capite cœcuisse. Isaia Cap. 55. v. 3. Inclinate aurem vestram, & venite ad me; audite & vivet anima vestra, & seriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce vestram populi dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus. Tum postea Cap. 61. v. 8. Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum seriam eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Jeremias Cap. 32. v. 40. Et fecerim eis pactum sempiternum, non desinam eis bene facere, & timorem meum dabo in corde eorum, & non recedent a me. Ezechielis Cap. 16. v. 62. Suscitabo ego pactum meum tecum, & scies quia ego Dominus. Osee Cap. 2. v. 18. Percutiam cum eis fœdus, in die illa. . . . & sponsabo te mihi in sempiternum. Et alia id genus non pauca Prophetarum vaticinia; quæ Dei Fœdus, non quale-

cunque, & cum solis Judæis, sed æternum; atque cum universis gentibus inendum, prænucciatur.

III. Quid modo Judæi, ut laqueum istum effugiant? legem, seu fœdus, adventante Messia faciendum ultro concedunt, non tamen novum, & ab eo distinctum, atque diversum, quod cum Israelitico populo jam pridem sequestro Moyse Deus inierat. Verum os illis occludit Propheta Baruch Cap. 2. v. 35. Et statuum illis Testamentum alterum sempiternum, ut sint illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Os illis verberat Jeremias Cap. 31. v. 31. atque adeo aperte, adeo dilucide, ut omnem profus cavillationem elidat. Ecce dies venient, dicit Dominus, & seriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod seriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. En itaque Legem novam, Messia temporibus faciendam; Legem a Mosaica Israelitico populo ex Ægypto egresso data, longe distinctam; Legem non in tabulis lapideis scriptam, sed cordibus insculptam, Legem non servitutis, sed amoris.

Equis etiam nesciat, Mosaicam Legem, & in monte Sina sanctam a Deo, & unico Judaico populo datam esse? Porro Legem alteram Messia temporibus orituram vaticinatus est Isaia, Gentibus quoque communem, a Jerosolymis, & monte Sion procedentem. Quibus notis quid, nisi Evangelium intelligamus, a Christo nostro Jerosolymis datum, a Spiritu S. in Monte Sion super discipulos effuso confirmatum, ut universis gentibus nunciaretur? De Sion exibat Lex, inquit Isaia Cap. 2. v. 3. & verbum Domini de Jerusalem, & iudicabit gentes, & arguet populos multos. Quæ iidem ferme verbis legere est Michæa Cap. 4. v. 2. Et properabunt gentes multæ, & dicent, venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacobi, & docebit nos de viis suis; & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum. Et v. 6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam, quam eiecram, colligam, & quam assizeram. Et ponam claudicantem in reliquiis, & eam, que laboraverat, in gentem robustam. Et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc, & usque in æternum.

IV. Notum, quantum se Judæi hoc loco torqueant, ut ab iis Jeremia, Isaia, & Michæa vaticiniis expedit sese. Jeremiam de novo fœdere, seu pacto locutum respondent, non de Legge nova faciendâ: quam ob causam hebraico vocabulo *Berith*, non vocabulo *Tora* sit usus. Aut certe, si de Legge nova faciendâ fortasse dixit, novam duntaxat intelligi voluisse, quoad modum scribendi, ac denunciandi; non novam quoad substantiam mandatorum etiam cæremonialium. Hoc est, eandem semper futuram Mosaicam Legem, etsi quæ prius in tabulis lapideis scripta erat, atque ita minus religiose servabatur; postmodum Judæorum cordibus, ac visceribus, ad plenam ejusdem observantiam inscribenda sit. Isaia vero, & Michæa, legem de Sion, seu de Jerosolymis prodituram dixisse volunt; quatenus in monte Sina a Deo primum Moyse data, tum Jerosolymam perlata, inde tandem velut e publica schola propagata sit.

Quam

Quam sint responsa illa futilia, nemo non videt. Norunt enim-vero quotquot hebraice sciunt, idem plane sonare *Tora*, quod *Berith*: uti plane Sacrarum Scripturarum usum, idem lex sonat, ac fœdus, & pactum: propterea quod data, receptaque Legge, Deus & homo mutuo pacificatur; iste quidem observantiam spondens, ille remunerationem promittens. Maxime cum in antithesi posita illic ab Jeremia inter pactum novum, & pactum vetus, utrobique vocabulum *Berith* usurpetur; certoque certius sit, nomine pacti veteris non nisi veterem Legem intelligi. Unde etiam Exodi Cap. 34. v. 27. & Deuteronomii Cap. 29. v. 1. ubi de Mosaica Legge, sub nomine fœderis, in Latina versione sermo fit, vocabulum *Berith* in textu Hebraico reperitur. Jam vero ex quo lex nova a Deo faciendâ promittitur, mandata quædam nova completi illam necesse est, non cordibus duntaxat inscribi priora mandata, ad illorum observantiam obtinendam. Nec enim Princeps Legem novam condere dicitur, dum Legem diu antea latam procurat executioni demandari. Quare utrumque per Jeremiam promissit Deus, & Legem novam se daturum; & hanc ipsam populi sui cordibus, ac visceribus inscribiturum. Alterum, quod de Mosaica Legge subjungitur in Sina primum data, tum Jerosolymam perlata, inde tandem velut e publica schola propagata, futilitatis plenum est. Mosaica quippe lex in Sina data est toto præsentem populo, ac Tribubus universis, quæ eandem in suas quæque domos detulere: quare illam a Jerosolymis velut e publica schola emendicare, necesse illis non fuit. Michæa etiam, & Isaia, locis ante laudatis, de futura legis sanxione, & traditione loquuntur: *De Sion exibat lex*. . . . *De Sion egredietur lex*: horum autem Prophetarum ætate jam dudum exierat, egressaque fuerat Mosaica lex: de ea itaque sermonem istuc esse, impossibile est. Quamquam enim Prophetæ res futuras ob certitudinem Prophetiæ quandoque narrent, uti præteritis; nunquam tamen res præteritas, uti futuras enunciant. Restat ergo, ut de Evangelica lege in Monte Sion Jerosolymis lata sermo fiat.

Et sane, novam illic, & alibi legem spondent laudati Prophetæ, ad cujus observantiam Gentes quoque obligarentur: repugnant autem Mosaicam Legem ab omnibus Gentibus observari: tum quod multa illius præcepta, extra terram promissam observari nequeant: tum quod præceptorum aliqua data sint, ad Judaicum populum a cæteris gentibus distinguendum, uti paulo antea demonstravimus.

V. Quid, quod Mosaica Legis ritus, Sabbatha, solemnitates, Sacros apparatus tandem aliquando, abolendos non semel vaticinati sunt Sacri Vates? Isaia Cap. 1. v. 13. Neomeniam, & Sabbatum, & solemnitates alias non seram. Cædulas vestras, & solemnitates vestras odit anima mea. Osee Cap. 3. v. 4. Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Epod, & sine Theraphim. Hoc est, sine Sacerdote, & sine Propheta: erat enim Epod superhumeralis Sacerdotum indumentum; Theraphim autem imagines erant futura prænucciante. Osee idem Cap. 2. v. 11. Cessare faciam omne gaudium Israelis, & Solemnitatem ejus, Neomeniam ejus, & omnia festa tempora ejus. Amos Cap. 5. v. 21. Odi, & projecit solivitates vestras, & non capiam odorem cæturum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocaustata, & munera vestra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam.

Dicent forte viri miseri, comminantis, & indignantis Dei verba esse, ut illos officii sui admoneat; non Dei veteres institutiones obliteran-

tis. Verum, & indignantis, & obliterantis verba esse, textus clamat: idque disertè contestatur est Jeremias Cap. 31. supra laudato; ubi idcirco pactum vetus a Deo rescindendum monet, quod illud jam pridem filii Israel nequitia sua, ac sceleribus irritassent. Hinc Isaia Cap. 43. v. 18. monet Deus: *Ne meminieritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova, & nunc orientur, tunc cognoscetis ea.* Hujusque rationem assignat v. 22. *Quia non me cognovisti Jacob, nec laborasti in me Israel.* Ut sciam, Osee saltem dictum mere propheticum esse, ac simpliciter denunciare, quid Judæis eventurum sit, nullo comminantis, & indignantis Dei sensu insinuat.

VI. Sed vultis rem totam minutatim, & per partes expendamus? Præsto sum. Quid in veteri ritu sanctius, quid augustius Arca ipsa Testamenti; in qua scilicet Dei Majestas inhabitabat, Lexque Moyse servabatur? Et hanc tamen adventante Christo obliterandam, ac nihili faciendam mandavit Deus, Jeremias 3. v. 16. *Cum multiplicati fueritis, & creveritis in terra, in diebus illis, ait Dominus, non dicetis ultra, Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabitur illius, neque visitabitur, nec fiet ultra.* Quid sanctius, ac solemnius solemnitate Paschali, in memoriam exitus de Ægypto celebranda? Et hanc tamen aliquando rescindendam prædixit Jeremias Cap. 25. v. 7. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicent ultra vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti.* Quid sanctius inter Mosaicæ Legis Sacramenta carnali circumcissione. Abrahamo primum indicia, tum postea a Moyse præcepta, ac demum a Josue novo ritu celebrata? Et hanc tamen carnalem Circumcisionem innovandam, & in spirituale commutandam vaticinatus est Jeremias Cap. 4. v. 3. *Hec dicit Dominus vivo Juda, & Jerusalem, novate vobis novitæ, & nobis serere super spinas: Circumcidimini Domino, & auferite præputia cordium vestrorum, Viri Juda, & habitatores Jerusalem.* Deuteronomii 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Quid sanctius Salomonico Templo, extra quod Sacrificium Mosaicæ Legis offerre sacrilegum erat? Et hoc tamen solo æquandum vaticinatus est Isaia Cap. 25. v. 2. omni futuræ instaurationis spe adempta; ne crudas spes suas Judæi inaniter alant, qui illud a Messia suo instaurationum iri arriolantur. *Posuisti Civitatem in tumulum, urbem sortium in ruinam, domum alienorum, ut non sit Civitas, & in sempiternum non ædificetur.* Qua de re in sequenti plura dicam.

Id ergo, velint, nolint, Judæi fateantur, Mosaicam Legem adorientem Messia rescindi, & in novam commutari debuisset: frustraque Messiam alterum expectari, qui neglectam illam, & obliteratam instauret. Neque obest: quod crambis instar recoctæ nobis obrudunt: Si bona Lex Moyse, cur tandem rescissa? Proh Deum immortalis! Bona quidem Lex illa fuit, sed justo tempore, donec nova succederet. Bona, fed instar pædagogicæ ad rudes animos informandos; atque ita accedente plenitudine temporum, perficienda. Bona, sed instar figuræ, atque ita revelata veritate, abolenda. Bona, sed instar Symboli Christum præfigurantis, atque ita veniente Christo implenda, & consummanda. Nec idcirco Deus, quo volente rescissa fuit, consilia mutasse putandum est: quia & illam, ea mente, eoque consilio condiderat primum, ut justo duntaxat tempore perdiraret, & consummata demum, Messia tempore exolefceret: adeoque non immutata est, sed impleta Dei voluntas. Uti plane dum Deus Serpentem æneum, quem a Moyse confectum jusserrat

ia